

QUAESTIO II

Utrum subiectum possit esse immediatum principium praecipue effectivum alicuius sui accidentis.

Post haec ² circa creaturas quaerebantur quaedam pertinentia ad naturam substantialem et eius dispositiones vel proprietates; quaedam autem ad accidentalem pure naturam ³. Circa primum quaerebantur quaedam ³ | pertinentia ad naturam substantialem in generali et quaedam pertinentia ad naturam rationalem et quaedam pertinentia ad naturam irrationalem. ⁴

Circa primum quaerebatur unum pertinens ad subiectum respectu sui accidentis. Utrum subiectum possit esse immediatum | principium praecipue effectivum alicuius sui accidentis. Et arguitur quod non; quia nihil agit ultra ⁵ suam speciem, eo quod inter causam et effectum debet esse unigenitas ⁶. Ergo cum subiectum sit substantia et accidens alterius generis, substantia non est principium activum accidentis.

Contra. Substantiae debetur aliqua operatio cuius ipsa substantia est principium. Sed operatio substantiae creatae est accidens. Ergo et cetera.

Respondeo. Circa hoc intelligendum quod, cum quaeritur utrum aliqua substantia possit esse immediatum principium activum vel effectivum alicuius sui accidentis, quaestio potest intelligi generaliter de quacumque substantia creata respectu cuiuscumque accidentis, vel specialiter de substantia animata respectu vitalis operationis, scilicet prout solet quaeri: utrum anima possit elicere suas operationes, scilicet sentire, intelligere et cetera.

Si ergo intelligatur in generali, non videtur aliud quaerere nisi utrum aliquod unum et idem respectu eiusdem possit esse activum et passivum, cum certum sit quod subiectum respectu sui accidentis habeat rationem passivi.

Ad hoc ⁸ posset faciliter responderi et ex ratione activi et passivi ut ad invicem secundum suas definitiones vel descriptiones comparantur, ex ratione potentiae quae convenit passivo, et ex ratione actus qui convenit

¹ hoc PC. — ² accidentalem — naturam] naturam — accidentalem C. — ³ autem — quaedam] om. P. — ⁴ et quaedam — irrationalem] om. C. — ⁵ ultram V. — ⁶ unigenitas C. — ⁷ nam add. C. — ⁸ autem add. P.

activo. Secundum Philosophum (1) enim, quinto et nono Metaphysicae, potentia activa est illud quod est principium transmutationis in aliud secundum quod aliud; Commentator (2): non in se, cum sit manifestum quod nihil agit in se ipsum. Et ex hoc patet quid sit potentia passiva. Unde subdit (3): potentia passiva est illud quod recipit transmutationem in se ex alio secundum quod est aliud; Commentator (4): non a se, cum sit manifestum quod nihil patitur a se ipso. Ex hoc videtur manifestari | satis solutio quaestionis in generali. Unde eam expresse sub forma propria videtur Commentator (5) solvere in principio quarti Metaphysicae, super illud (6): ens dicitur multis modis; tamen in omnibus dicitur ¹ ens quia attribuuntur uni primo enti, scilicet substantiae. Dicit (7) enim ibi: et istae attributiones in unoquoque sunt diversae; praedicamenta enim attribuuntur ² substantiae, non quia est agens aut finis eorum, sed quia constituuntur per illam et subiectum est eorum. Et primo Physicorum, dicit Philosophus (8) quod subiecta natura cum causa formae est omnium quae sunt in ea sicut mater. Item, actus et potentia sunt contraria; quare non possunt eisdem secundum idem convenire; quod enim est in potentia receptiva, cum sic illo sit carens, non potest esse in actu secundum illud sive habens. Et quod est in actu secundum aliquid et sic illud habens, non potest esse in potentia receptiva respectu illius, illo scilicet carens. Est ergo haec condicio agentis et patientis quod unum est actu tale et aliud est potentia tale; quia quicquid agit, agit secundum quod est in actu ³; et quicquid patitur, patitur ut est in potentia. Item, alia est conditio, quia agens est praestantior et prior patiente, secundum Augustinum (9) et secundum Philosophum (10) ⁴. Item, alia condicio: quia agens debet contingere patiens; unde secundum Philosophum (11), primo de Generatione, agens et patiens non appropinquata sibi ipsis non sunt nata facere et pati. Iste autem condiciones non possunt convenire uni et eidem, neque in materialibus, neque in immaterialibus ⁵. Unde cum actus et potentia dividunt et circueunt totum ens, istae rationes

¹ multis — dicitur] om. C. — ² enim attribuuntur] attribuuntur enim P. — ³ est — actu] in actu est PC. — ⁴ inter lineas supra secundum Augustinum (duodecimo ...) (?) et supra secundum Philosophum (tertio de anima) scripsit alia m. V. — ⁵ neque — immaterialibus] om. P.

(1) Aristotelis *Metaphysica*, I. V, c. XII (ed. Bekker, vol. 2, p. 1019, a) et I. VIII, c. 1 (*ibid.* p. 1046, a). — (2) Averroës Cordubensis, *Metaphysica*, I. IX, c. 2, com. 2 (ed. Venetiis 1562, t. 8, fol. 227 R a). — (3) Aristotelis *Metaphysica*, I. VIII, c. 1 (*ibid.* loc. cit.). — (4) Averroës Cordubensis, *ibid.*, (loc. cit.) — (5) Averroës Cordubensis, *Metaphysica*, I. IV, com. 2 (Venetiis 1562, vol. 8, fol. 65 Va). — (6) Aristotelis *Metaphysica*, I. IV, c. 2 (ed. Bekker, vol. II, p. 1003 a, b). — (7) Averroës, *ibid.* ut supra (loc. cit.) *Verboten*. — (8) Aristotelis *Physica*, I. I, c. IX (ed. Bekker, vol. I, p. 192 a). — (9) Augustinus, *De Genesi ad litteram*, I. XII, c. XVI, 33. (Apud Migne, PL. t. 34, col. 467). — (10) Aristotelis *De Anima*, I. III, c. V (ed. Bekker, vol. I, p. 430, a). — (11) Aristotelis *De Generatione*, I. I, c. 6 (ed. Bekker, vol. I, p. 322).

aequaliter applicabiles sunt cuilibet enti. Et si per eas probatur et conceditur quod in aliquibus materialibus ita est, per easdem probabitur quod etiam in immaterialibus ita est. Et quia ratione in uno ente quocumque deficiet, et in omnibus. Propter quod non solum patet solutio quaestionis in generali, sed in speciali, etiam si scilicet quaeratur specialiter de substantia animata utrum suae operationis sit principium effectivum.

Cod. V
fol. 125 R^b

Cod. P
fol. 130 V^b

Unde quod dicitur ab aliquibus (1) quod ita est in corporalibus ubi vere est actio et passio quae sunt motus, qui est actus entis in potentia secundum quod huiusmodi, scilicet quod nihil est activum respectu sui ipsius, non autem est ita in aliis, ubi est operatio perfecta et tota simul entis in actu secundum quod in actu, non valet. Quia licet hoc ponat differentiam inter ipsas perfectiones secundum suas naturas et modos essendi, hoc tamen non excludit differentiam veram inter actum et potentiam. Sicut enim mobile antequam movebatur est penitus vere et proprie in potentia ad suum actum qui est imperfectus et motus dicitur, et ideo non potest se ad illum quantumcumque imperfectum efficere, ita etiam intellectus possibilis antequam intelligat est omnino in potentia ad suum intelligere; et est hic repugnantia tanta quanta ibi; et sic in voluntate et in aliis.

Constat autem quod non solum differt actus voluntatis a motu proprie dicto, sicut est dictum, ut propter hoc possit voluntas ad illum se ipsam educere, non sic mobile ad motum; immo etiam quaecumque operatio vitae puta: videre, audire, intelligere; quaelibet enim talium est operatio perfecta et tota simul; et tamen de talibus hoc non ponitur communiter, scilicet quod potentiae quarum sunt se ipsas ad istas operationes educant.

Sed dicitur ad praedicta quod verum est quod potentia est contraria actui non cuicumque, sed illi qui est complementum potentiae illius. Et ideo dicitur quod verum est quod impossibile est ut idem re, ut est in potentia ad talem actum, deducat se ad illum; idem tamen re quod est in potentia ad talem actum, si simul cum hoc quod est in potentia ad illum secundum unam rationem eius, possit esse in actu sub illo secundum aliam eius rationem secundum quam natus est actus ille produci ab eodem, non est inconveniens quod idem, ut est in actu secundum aliquid quantum ad unam eius rationem, se ipsum, ut est in potentia ad illud secundum aliam rationem, deducat de potentia ad actum: sicut si sol cum eo quod est calidus virtute et iam habet calorem secundum unam rationem eius, esset in potentia ad actum secundum formam caloris, et sic esset simul cum hoc in potentia ad calorem iam habitum,

Cod. C
fol. 60 V^b

¹ hic V; vel hoc in marg. alia m. V. — ² dicitur et] del. 2^a m. C. — ³ haec P et 1^a m. C. — ⁴ inducere V. — ⁵ ut add. C. — ⁶ et add. PC. — ⁷ quae PC. — ⁸ secundum aliquid] secundum ad 1^a m. C., del. 2^a m.

(1) Henricus de Gandavo, *Quodlibet* X, q. 17. (vol. II, fol. CCCXXVII, verso).

tamen secundum aliam rationem se ipsum, prout est actu et virtute talis qualis est in potentia ut fiat talis secundum formam, se ipsum in quantum secundum formam caloris de potentia calido faceret actu calidum. Et hoc quidem ponunt (1) non solum in voluntate vel in immaterialibus, sed etiam in aliquibus materialibus, puta: de aqua calida quae secundum rationem substantiae suae virtute habet frigiditatem ad quam est in potentia formaliter et, cessante impedimento, educit se in actum secundum illam formaliter; et cetera.

Cod. P
fol. 131 R^a

Hoc autem, si veritatem habet, videtur posse poni eadem facilitate in uno sicut in alio, dicendo scilicet quod unumquodque quod est in potentia ad aliquem actum secundum formam propriam, est in actu secundum illam non formaliter, sed virtute; et per hoc unumquodque erit causa effectiva respectu sui ipsius et unumquodque educet se ipsum de potentia in actum, licet hoc ab aliquibus (2) sine ratione et causa speciali specialiter applicetur voluntati vel cuicumque alii. Dicitur ergo quod quaelibet substantia est virtute talis quale est suum accidens formaliter et sic erit principium activum omnium suorum accidentium. Sed quia hoc non convenit cuilibet substantiae per se sine aliquo alio praesente, dicitur quod illud non est causa per se effectiva, sed causa sine qua non, sicut ponitur circa voluntatem. Nec potest ostendi de uno plus quam de alio ratione aliqua ex se sumpta nec etiam experimento; cum aliqui (3) dicunt quod, praesente movente ut causa sine qua non respectu voluntatis, non semper est voluntas in actu; sed hoc contingit praesente movente respectu aliorum; propter quod videtur esse dicendum quod respectu voluntatis non dicitur aliquid movens ut per se causa, sed ut causa sine qua non; sed hoc non debet dici de movente respectu aliorum.

Hoc non valet; quia si hoc concedatur de voluntate, scilicet quod praesente movente, id est existente apprehensione intellectus de aliquo bono, non semper est voluntas in actu, hoc est quia eorum ad quae voluntas movetur quaedam sunt talia quod, etsi illa possent apprehendi sub aliqua ratione boni et convenientis propter quod voluntas ad illa potest moveri prosequendo, possunt etiam apprehendi sub aliqua ratione nocivi et defectus propter quod voluntas potest moveri ab illis refugiendo. Et ideo potest contingere quod, facta apprehensione aliquorum talium, voluntas non movetur prosequendo vel etiam refugiendo, sed sistitur sic apprehendens donec per rationem deliberaverit plenius circa illa. Aliquando etiam voluntas respectu unius et eiusdem aliter et aliter movetur, quia aliquando motu persecutionis et aliquando motu

Cod. V
fol. 125 V^a

Cod. P
fol. 131 R^b

¹ in uno — est] quod C. — ² erat. — ³ applicatur C. — ⁴ om. 1^a m. C. — ⁵ erat P et 1^a m. C. — ⁶ voluntatis — est] om. 1^a m. C. — ⁷ possint PC. — ⁸ om. C. — ⁹ om. 1^a m. C. — ¹⁰ om. C. — ¹¹ in C. — ¹² deliberavit P. — ¹³ prosecutionis C.

(1) Henricus de Gandavo, *Quodlibet* X, q. IX, fol. CCCXXVI recto, ad secundam rationem; et verso. — (2) Henricus de Gandavo, *ibid.*, loc. cit. — (3) Henricus de Gandavo, *Quodlibet* IX, q. V (t. II, fol. CCCLX, D).

Q8.16
p. 164

fugae et detestationis. Sed quando plena et terminata deliberatione aliquid talium apprehenditur, sic autem proprie habet rationem moventis in actu, tali dispositione stante ex parte moventis, sequitur etiam motio in voluntate et dicitur quod voluntas ut sic necessario movetur¹ respectu illius. Unde respectu finis ultimi sive beatitudinis cum apprehenditur, quia non potest apprehendi nisi sub ratione boni et convenientis, non potest se non movere, quia modo naturae et de necessitate movetur in illum; et tamen ponitur quod respectu illius movet se. Secundum hoc ergo omnia etiam² materialia dicuntur se movere et non ab alio, nisi sicut a causa sine qua non, non obstante quod respectu illius non possunt se non movere, quia omnis motus eorum est naturalis et determinatus.

Cod. C
fol. 61 R^a

Praeterea, esto quod sic³ non manifeste probetur experimento quod naturalia non movent se rationabiliter, tamen ponitur ita esse in naturalibus virtute rationis qua⁴ ponitur | hoc in voluntate, quia revera in omni ente ratio activi et passivi eandem rationem important quantum ad ista esse eadem vel diversa, sicut ea quae sunt communia⁵ omni enti; et ratio quae potest circa hoc applicata declarare, ita esse in voluntate, quia hoc fit⁶ ponendo ita esse ea natura rei, potest etiam in quocumque alio similiter declarare ita esse, ut patet inducenti. Haec autem alias (1) diffusius sunt tractata, nec adhuc vidi quomodo hoc possit destrui circa alia quin etiam hoc circa voluntatem eadem facilitate destruat.

Cod. P
fol. 131 V^a

Praeterea exemplum quod inducunt est contra eos. Quia enim est sol calidus solum virtute, id est habet | proprietatem secundum quam natus est calefacere formaliter, ideo nunquam potest fieri calidus formaliter a se ipso. Cum ergo hoc sit principale exemplum, id ponere in aliis est petere, quia nec hoc exemplo confirmatur, immo potius infirmatur. Verum est enim quod sic potest distinguere de esse in actu formaliter vel virtute. Et, ut quidam dicunt et scribunt, magna ruditas ingenii est nescire distinguere qualiter aliquid continet formam aliquam formaliter et aliquid continet illam⁷ virtualiter. Sed maior ruditas est concedere propter hoc⁸ quod unum et idem secundum rem sit activum et passivum respectu eiusdem; et nulla est ruditas hoc negare, quia haec distinctio solum valet ad declarandum diversitatem agentium et modorum agendi, vel⁹ tamen¹⁰ in suis propriis passivis, prout distinguitur inter agens univocum eiusdem speciei et aequivocum alterius speciei. Sicut enim calidum formaliter generat calidum eiusdem speciei vel naturae non in se sed in alio, ita calidum virtute generat calidum formaliter sive alterius naturae vel speciei non in se, sed in alio. Et sic de alijs.

¹ om. P et 1^a m. C. — ² om. C. — ³ sit PC. — ⁴ qui VP. — ⁵ consequentia C — ⁶ sit C. — ⁷ illud — ⁸ om. C. — ⁹ sit VPC. — ¹⁰ vel tamen] in marg. scrips. alia m. V

(1) Cfr. *Quodl* VI, q. 7

Non ergo debet poni ex hoc distinctio talis quod quae sunt talia virtute possunt se educere ad actum formalem, alia autem non; quia hoc est contra rationem propriam activi et passivi. Sed solum debet poni distinctio quae dicta est, scilicet quod quaedam sunt agentia aequivoca, scilicet continentia formam virtute; quaedam vero univoca, scilicet habentia formam eiusdem rationis in actu. Item, prout dicitur secundo Physicorum (1), causae sic se habent ad invicem quod forma et finis intrinsecus incidunt in idem numero, forma et efficiens in idem specie. Materia | vero vel subiectum nunquam cadit in idem realiter cum alijs. Quomodo ergo illud idem secundum rem quod est materia et subiectum actus alicuius erit efficiens illius? Tantum enim est inconveniens quod efficiens aequivocum vel | analogum sit materia vel subiectum formae quam efficit, sicut in agente univoco, quia ita vere, immo verius convenit ei ratio agendi.

Cod. V
fol. 125 V^b

Cod. P
fol. 131 V^b

Quia etiam cum totum compositum per se fiat aliquid, licet ratione formae, sicut fit ex toto composito licet ratione materiae, si illud quod est agens esset etiam¹ patiens et subiectum, idem esset causa efficiens sui ipsius.² Deinde discurrendo per singula, patet quod non poterit inveniri aliquid idem quod respectu eiusdem sit activum et passivum. Nec est instantia de intellectu, cum in intellectu sit intellectus agens et patiens. Non enim quaeritur utrum intellectus agens importet potentiam activam et possibilis passivam, quia constat quod sic; sed quaeritur utrum illud in quo per se recipitur actus intelligendi sit causa effectiva illius; et patet quod non. Ita etiam circa voluntatem, quaerimus de isto in quo subjective recipitur actus volendi utrum sit effectivum suae actionis; et ideo, consideratis his etiam alias (2) pluries recitatis, nec videtur aliter posse poni de quacumque re determinata quod aliquid unum et idem secundum rem et subiectum moveat se ipsum, nisi dicendo, sicut placet, sine omni ratione: haec est natura eius, quia, qualitercumque aliter dicatur, hoc potest in quolibet alio reperiri; et ideo universaliter dico quod nihil est activum sic in se ipsum quod de potentia reducat se in actum illius ad quod erat in potentia unum et idem³; dico secundum rem.

Sed aliquibus videtur quod unum et idem secundum subiectum, in quo tamen est reperire pluralitatem realem, potest esse activum in se ipsum, quia ratione unius secundum rem poterit agere, et ratione alterius secundum rem etiam in ipso existentis poterit⁴ pati. Sic enim poterunt salvari | praedictae condiciones quae inter agens et patiens requiruntur; et idem

Cod. C
fol. 61 R^b

¹ quia esset per se add. PC; in marg. scrips. et ras. alia m. V. — ² om. C. — ³ secundum rem add. P, del. P. — ⁴ agere — poterit] om. C.

(1) Aristotelis *Physica*, I. II, c. VII (ed. Bekker, vol. I, p. 198, a). — (2) Cfr. *Quodlibetum* VI, q. 7.

result of deliberation
→ necessary act
of will

Cod. P
fol. 132 Ra

secundum idem non erit agens et patiens. Unde in composito ex partibus quantitativis¹ unum et idem in una parte existens magis calidum poterit agere in se ipsum, | quantum ad aliam partem quae est minus calida. Similiter in composito ex partibus essentialibus, ut in animali composito ex anima et² corpore, anima se habet ut movens et agens, corpus autem ut motum et patiens. Similiter in composito ex partibus potentialibus ubi secundum unam potentiam se habebit ut movens et agens, secundum aliam ut motum et patiens, sicut dicitur quod voluntas movet intellectum; et e converso. Ex quo enim sunt partes differentes realiter non est inconveniens unam respectu alterius habere quandam rationem actualitatis et aliam rationem potentialitatis; et secundum praedicta unum et idem movet se, sed non primo, quia per partes.

Et dicunt etiam ulterius quod unum et idem secundum se totum potest se ipsum movere, sed non primo et principaliter et directe, sed ex consequenti per accidens et indirecte. Et secundum hoc aliquid existens sub aliquo accidente vel sub aliqua perfectione potest se ipsum facere vel educere in alia perfectione secundum aliud accidens; sicut grave per formam gravis per se movet medium, movendo autem et scindendo medium movet se ipsum deorsum ubi quoddam ubi et quandam perfectionem dicitur consequi, quia ibi magis natum est salvari quam alibi. Et sic de aliis. Sic etiam aliquid existens sub perfectione substantiali facit se ipsum ad perfectionem accidentalem; vel existens sub una perfectione accidentali facit se ipsum³ in aliam perfectionem accidentalem. Aqua enim existens sub natura aquae facit se ipsam frigidam; aqua etiam facta prius calida ab alio se ipsa reddit frigida. Similiter calor naturalis dessicat humidum et sic humidum existens sub calore movet se ad aliam perfectionem accidentalem, scilicet ad siccitatem. Et hoc sic contingit: quia agens quod dat formam, | dat etiam accidentia consequentia formam; et sic motus aquae ad frigiditatem debet dici esse a generante, quia id⁴ quod dedit naturam aqua dedit ei quod fluere ab ipsa accidentia competentia illi naturae. Unde aqua semper, quantum est de se, est frigida, nisi impediatur motus. Ergo aqua,⁵ amo | to impedimento, ad frigiditatem reducitur in idem principium a quo habet aqua naturam aqueam. Aqua ergo facit se ipsam frigidam, non quod directe in se ipsam agat, sed quia a generante est quod a natura aquea nata est frigiditas fluere. Sic etiam, quia siccum est quid annexum calido, ideo a calido, si sit excessus calidi, fluit siccum; propter quod calidum existens, humidum reddit siccum se ipso: qui motus potest attribui generanti, quia dans talem naturam dedit ei quod sic⁶ ab eo fluere siccum. Sic etiam et⁷ voluntas facta in actu per finem, se ipsam movet ad ea quae sunt

Cod. V
fol. 126 RaCod. P
fol. 132 Rb

¹ quantitatis PC. — ² in C. — ³ ipsum VP; ipsum corr. V. — ⁴ de add. P, postea del. — ⁵ aquae. — ⁶ sicut PC. — ⁷ om C

ad finem; et intellectus factus in actu per principia, movet se ipsum ad conclusiones.

Sed omnia talia reducenda sunt in motorem alium; nam si ex objecto apprehenso habet voluntas principale, scilicet quod velit finem, dicitur ex hoc habere quod velit annexum, scilicet ea quae sunt ad finem. Similiter ex parte intellectus, illud quod causavit intellectionem principiorum dicitur causare intellectionem¹ conclusionum.

Item, alio modo etiam dicunt aliqui quod voluntas et intellectus faciunt se in actus suos etiam primos; quia dicunt quod in voluntate sunt quaedam affectiones ab ipsa realiter differentes, et harum virtute facit se in actum aliquem secundum modum et condicionem affectus quem habet. Similiter² in intellectu possibili dicitur fieri quaedam species ab objecto, cum³ et⁴ mediante illa facit se intellectus in actum determinatum intelligendi illud obiectum. Et secundum istum modum ponendi quo unum dicitur agere⁵ se ipsum, agens et patiens non sunt distincta re et per consequens nec subiecto nec loco. Et secundum hoc dicitur quod non est inconveniens | materiam vel subiectum aliquo modo coincidere⁶ cum causa efficiente et aliquo modo non coincidere; quia si consideretur subiectum ut est in potentia, non est causa efficiens suorum accidentium, quia ab eo ut est in potentia non fluunt sua accidentia; | sed si consideretur ut est quid in actu, sic dicitur esse causa efficiens talium accidentium, quia prout est in actu et prout habet talem formam, naturaliter consequuntur ipsum talia accidentia. Unde quia materia secundum se non dicit nisi potentialitatem, ideo signanter dicit Philosophus (1) non quod materia secundum se, sed quod⁷ materia cum forma, quia per hoc quod habet actualitatem est causa omnium accidentium quae fiunt in ea. Et per hoc dat intelligere quod non ratione potentialitatis, sed ratione actualitatis quam acquirit materia per formam, habet quod ab ea fluant huiusmodi accidentia. Et est notandum quod non dicit materiam esse causam efficientem respectu formae substantialis, quia respectu illius non includit aliquam actualitatem. Subiectum ergo coincidit cum causa efficiente respectu accidentium ratione actualitatis formae; non coincidit autem ratione potentialitatis; et hoc appellando causam efficientem non illud quod agit, sed illud quo aliquid agit; est enim natura rei quasi organum generantis et efficientis respectu accidentium ipsam naturam consequentium, in quantum mediante tali natura causa efficiens generat accidentia in ista natura subiecta; et sic talia accidentia sunt principaliter a generante et aliquo modo sunt a natura subiecti.

Ponunt etiam isti quod, sicut a natura ignis, quia ipsum consequuntur

¹ principiorum — intellectionem] om. P. — ² etiam add. P; et add. C. — ³ tamen PC; del. 2a m. C. — ⁴ et del. 2a m. C. — ⁵ in add. 2a m. C. — ⁶ incidere P et 1a m. C. — ⁷ om PC.

(1) Cfr. Aristotelis *Physica*, l. I, c. IX [ed Bekker, vol. I, p. 192 a).

Cod. C
fol. 61 VaCod. P
fol. 132 Va

caliditas et siccitas, dicuntur huiusmodi ¹ accidentia causari, ita etiam, quia essentiam animae et angeli naturaliter consequuntur intellectus et voluntas, essentia animae et angeli habet aliquo modo rationem causae efficientis respectu suarum potentiarum.

Cod. V
fol. 126 R^b

Cod. P
fol. 132 V^b

Sed ista non valent; immo universaliter est dicendum quod, ubicumque aliquid existens in potentia ad aliquem actum fit in actu secundum illum, oportet quod agens et patiens differant ² re et subiecto ³, et cum hoc situ et loco in corporalibus. Et quantum ad exempla inducta, omnia haec inveniuntur in composito, scilicet ⁴ ex partibus quantitativis; quia licet illud sit unum unitate totius | integralis, tamen ⁵ una pars non est alia, sed est distincta re et subiecto, sic quod una potest habere rationem moventis respectu alterius. Inveniuntur etiam in composito ex partibus essentialibus de quo propositum ⁶ est exemplum, scilicet in animali; ibi enim anima dicitur motor corporis, non quia ipsa secundum se effective moveat corpus cuius est forma et in quo est subiective, sed quia animal non solum est totum quantitativum et integrale simpliciter et absolute, sicut est totum homoeomerum ⁷ sicut aqua, lignum de quo intelligitur primum membrum; sed est totum heterogeneum ⁸ partes habens integrales quae etiam sunt organicae et etiam aliquo modo formaliter differentes et non solum loco et subiecto, sicut aliae in aliis totis. Et secundum hoc anima secundum aliquam virtutem determinatam, secundum quam est in aliqua parte corporis determinata, movet aliam partem corporalem primo, et mediante ⁹ illa aliam et sic deinceps, secundum quod habet fieri motus animalium localis et praecipue progressivus. Secundum quod, aliquid existens indistinctum subiecto, quantumcumque in isto sint aliqua plura differentia realiter, possit se ipsum educere de potentia in actum, hoc est omnino impossibile; quia, ex quo illud est unum subiecto indistinctum, totum per se est in potentia et totum per se ¹⁰ est in ¹¹ actu postea, licet ratione alterius partis; suppositorum enim est agere et pati per se.

Cod. C
fol. 61 V^b

Unde quod dicitur de voluntate et intellectu, quod movent se, non valet; quia unaquaeque istarum potentiarum movetur ab obiecto suo. Quomodo autem hoc fieri habet alibi (1) est declaratum. Si etiam aliquid ¹² quod est calidum et humidum agat in aliquid, calefaciendo et exsiccando illud quod est humidum, in illud idem aget, licet non | ratione qua humidum, sed ratione qua calidum. Similiter etiam si illud patitur ab aliquo, quia scilicet ab illo ¹³ exsiccatur, id quod est calidum etiam ab isto ¹⁴ patietur. Similiter etiam si

¹ om. V. — ² differat C. — ³ re — subiecto] om. P. — ⁴ enim PC. — ⁵ cum PC. — ⁶ productum C. — ⁷ homiomerum VP; homogenium C; genium *supra scrips. C, ras. C.* — ⁸ eth'ro-geneum V. — ⁹ mediante PC; mediante *corr. 2a m. C.* — ¹⁰ se om. P. — ¹¹ potentia et — in] om. V. — ¹² etiam aliquid] aliquid etiam C. — ¹³ isto PC. — ¹⁴ illo PC.

(1) Cfr. *Quodlibetum* VI, q. 7.

aqua calida agat in frigidum; et aqueitas et caliditas aget, licet aqueitas ¹ non | sit ratio per se agendi hanc actionem; et similiter calidum etiam ² in frigidabitur, licet non sit ratio talis passionis; et sic nulla condicionum quae requiruntur inter agens et patiens in talibus salvari potest. Licet enim calidum et humidum sint diversae res secundum se, in ³ ratione tamen activi et passivi differre non possunt, sed sunt unum subiecto, quia totum est per se activum et passivum. Constat etiam quod unum non tangit alterum, quia tangentium se non inest unum alteri ut forma inhaerens. Unde sicut forma non tangit materiam, sic nec forma formam cum qua est in eodem subiecto.

Cod. P
fol. 133 R^a

Si autem dicatur, sicut isti ⁴ videntur dicere, quod in istis sit dicatur unum et idem agere in se ipsum, quia scilicet secundum unum sit activum et secundum aliud sit passivum, quia non possunt ⁵ praedicta salvari, sed sic quod unum et idem et secundum idem sit activum et passivum, sed non sit activum principaliter et directe, sed ex consequenti et indirecte, sic scilicet quod talis actio non est in talibus proprie et directe ab illis, sed est talis actio reducenda in aliud activum principale; quia enim propria accidentia sunt annexa compositis ex materia et forma substantiali, et ideo dans formam substantialem dat ista et etiam dat in hoc virtutem quod si aliquando impediatur subiectum ne eis talia insint, impedimento amoto, possint ab isto fluere; sicut patet de aqua calida quae per se redit frigida; et in hoc illud quod dedit naturam aqueam a qua dicitur | aquam calidam in frigidare. Cum etiam calor dicitur agere in proprium subiectum, talis actio non reducitur proprie in calorem, sed in generans. Quia enim siccitas est apta nata esse annexa calori, calor facit suum subiectum siccum.

Cod. V
fol. 126 V^a

Et ponuntur talia in praedictis ad similitudinem eius quod dicitur, quod qui dedit naturam gravi, quia ad talem naturam sequitur motus deorsum, dicitur grave movere deorsum.

Cod. P
fol. 13 R^b

Sed illud etiam non valet. Primo, quia in | talibus ubi generans dicitur esse agens et movens per se et directe et principaliter aliquid ⁶ mobile, si contingat quod illud non sit in actu qui sic ⁷ natus est induci a generante, ad hoc quod fiat in actu secundum illud, oportet ponere aliquid aliud agens quod dicitur movens per accidens, in quantum scilicet facit aliquid per se et directe; quo facto, illud quod erat in potentia habet esse in actu convenienti suae naturae quam habet a generante; sicut patet in descensu gravis, quia ipsum grave est movens se per accidens, in quantum movet per se medium, illud dividendo; quo facto, statim est deorsum. Quamvis praeter hoc quaerendum sit, cum grave non moveat medium nisi ipsum grave ⁸ natura sit primo motum, quid est illud a quo sic grave primo movetur et sic motum

¹ caliditas VPC; aqueitas *scrips. in marg. V.* — ² calidum etiam] etiam calidum PC. — ³ et P et *1a m. C.* — ⁴ illi P. — ⁵ possent PC. — ⁶ aliquid P. — ⁷ sit PC. — ⁸ prius *add. 2a m. C.*

consequenter movet medium; hoc autem alibi tractatur (1). Sed sic non potest dici in aqua calida, quia non sic facit per se et directe aliquid in se ipsa nec etiam in aliud, quo facto, ipsa habeat esse frigida. Nihil enim fit circa aquam calidam, cessante calefaciente, neque in ipsa aqua neque ab ipsa nisi formalis infrigidatio.

Similiter etiam dicendum est de calore suum subiectum dessiccante¹, et de omnibus talibus. Ergo, si a talibus per se et directe nihil fit, quo facto, fiant in actu vel frigidum vel siccum, non potest dici quod ipsa aliquo modo nec directe et per se et principaliter, nec indirecte et ex consequenti faciant se talia. Praeterea dicere quod aqua calida per violentiam sit calida, est irrationabile, si consideretur quid per violentum importetur, alioquin omnis transmutatio naturalis, cum fit² de contrario in contrarium, esset violenta. Quod etiam humidum per violentiam sit cum calido et praecipue humidum, radicale est inconveniens, cum ista sint quaedam | principia vitae in viventibus.

Praeterea, oportet dicere aut quod talia penitus respectu | talium actuum nihil agunt, sed sunt tantum passiva respectu illorum; aut quod per se et directe agunt et efficiunt tales actus; aut quod non est ponere aliquod activum creatum quod agat per se et principaliter et directe. Si enim talia aliquam actionem agunt et efficiunt, sed illam non principaliter et³ directe⁴, quia reducitur in generans quod dedit naturam a qua fluit talis actus, ex quo tamen, talis actus immediate fluit et efficitur a tali natura; illud autem cuius est talis natura non habet virtutem ut talis actus ab ipsa fluat et efficiatur nisi in quantum habet talem naturam, quam non habet a se sed ab agente, cum hoc idem⁵ inveniat in quocumque agente creato, idem etiam in omnibus dicitur. Constat enim quod ignis non calefacit aquam praesentem, nisi quia habet virtutem calefactivam; sed illam non habet a se, sed a generante qui dedit ei naturam talem, ut statim praesente passivo fluat ab ipso actio calefactionis. Sicut ergo actio calefactionis qua aqua calefit ab igne, quia immediate procedit ab isto igne, in virtute tamen quam accipit⁶ a generante ipsum, dicitur fieri per se et directe ab isto igne tanquam a causa proxima immediata, licet etiam posset dici fieri a generante ignem tanquam a causa mediata et remota; ita etiam si, cessante actione ignis, aqua calida se ipsam infrigidaret per⁷ virtutem quam accipit a | generante, nihilominus quia talis actio immediate fluere ab ista aqua per se et directe, diceretur fieri ab ipsa aqua.

Quod autem dicitur de modo agendi specialiter accidentia sic propria, quod per se et inseparabiliter⁸ insunt substantiae, et simul cum substantia producitur in esse producuntur et ista⁹, et ipsa manente non possunt ab ista separari,

¹ deficiente PC. — ² sit PC. — ³ per se agunt et add. C. — ⁴ agunt add. P. — ⁵ hoc idem] haec ratio PC. — ⁶ accipit PC. — ⁷ naturam et add. PC. — ⁸ separabiliter P et 1^a m. C. — ⁹ illa PC.

(1) Quodl. VI, q. 7 (p. 156 sq.).

Cod. C
fol. 62 R^a
Cod. P
fol. 133 V^a

Cod. V
fol. 126 V^b

videlicet quod totum compositum ex materia et forma substantiali causat et agit ista¹ in se ipso; | sed, sicut dictum est in aliis, talis actio tanquam in principale agens reducitur in ipsum generans; quia, eo ipso quod generans dat naturam talem cui annexa sunt talia accidentia, dicitur talia accidentia causare; verumtamen quia causat ea non immediate, sed mediante substantia in actu, ita scilicet quod dando² substantiam³ tanquam principale, dat accidentia tanquam annexa; pro⁴ tanto dicitur esse substantia causa accidentium factorum in ipsa⁵, quia illud mediante quo fit aliud dicitur esse causa eius; hoc, inquam, bene dictum est, quantum ad hoc quod dicitur quod huiusmodi accidentia a generante per se et principaliter causantur secundum rationem causae efficientis. non sic quidem quod solum per se efficiat ipsam substantiam cui annexa sunt talia accidentia et sic ista faciat, quia a substantia ab ipso facta in ratione causae efficientis fluunt inseparabiliter; immo sic quod per se et directe a generante effective fluunt et compositum ex materia et forma substantiali et compositum ex subiecto et accidentibus propriis, licet ordine quodam naturae; quia, sicut materia est subiectum formae substantialis secundum quam generans generatione simpliciter generat compositum substantiale, ita compositum⁶ ex materia et forma substantiali est subiectum formarum accidentalium secundum quas generans generatione secundum quid generat consequenter compositum ex subiecto et formis accidentalibus. Et sic substantia nullo modo debet dici proprie agens, nec principale nec instrumentale respectu suorum accidentium; sicut nec materia potest dici agens respectu formae substantialis. Sed verum est quod ad fieri et esse accidentium est substantia in actu necessaria, tamen non⁷ secundum genus causae efficientis, sed materialis, sicut et ad fieri et ad esse formae substantialis necessaria est materia prima. Et sic substantia est causa materialis determinata quod in ista fiant accidentia effective tantum ab ipso agente. Et sic, quia agens non potest efficere accidentia nisi in substantia in actu, pro tanto potest dici quod efficiat ista mediante substantia. Ex hoc tamen ipsa⁸ non habet rationem agentis respectu illorum, sed rationem subiecti ut in illa⁹ | ab alio fiant. |

Quod autem dicitur de intellectu et voluntate quod facti in actum secundum principia, faciunt se in actum secundum¹⁰ principia¹¹, non valet. Bonum enim apprehensum quod movet voluntatem ad volendum ipsum tanquam finem, simul cum hoc non movet ipsam voluntatem ad volendum id quod est ad finem, nisi fiat explicatio eius quod est ad finem et applicatio ipsius finis. Et sicut finis secundum se movebat ad actum qui dicitur velle, ita illud quod est ad finem sic apprehensum movet ad actum qui dicitur electio. Universaliter

¹ om. C. — ² quod dando] quodam modo P; quod dans modo 1^a m. C., sed delet. 2^a m. C. — ³ substantia PC. — ⁴ om. 1^a m. C. — ⁵ ista PC. — ⁶ substantiale, ita compositum] om. C. — ⁷ tamen non] non tamen P. — ⁸ ista PC. — ⁹ ista PC. — ¹⁰ se add. P et 1^a m. C. et V, sed postea del. V. — ¹¹ principia C.

Cod. P
fol. 133 V^b

Cod. P
fol. 134 R^a
Cod. C
fol. 62 R^b

deli-
= bc-
ration

Against
Aquinas
also!

enim quando aliquid habet rationem subiecti¹ et passivi respectu alicuius per quod reducitur in actum², habet etiam rationem subiecti et passivi respectu omnium consequentium, et non naturam activi, sed in reductione talis passivi in actum secundum talia motiva. Unde est ordo talis quod non potest reduci in actum secundum posteriora, nisi prius fuerit reductum in actum secundum priora. Et sic voluntas non movetur nisi ab appetibili; sed non potest moveri ab eo quod est ad finem nisi prius mota fuerit a fine.

Et³ similiter etiam dicendum de intellectu possibili respectu cuiuscumque actus intelligendi qui habet esse in ipso subiective; scilicet quod respectu nullius⁴ habet rationem agentis et efficientis. Unde cum ea, quae in aliquo subiecto formaliter inhaerent, possint habere rationem agendi in aliud, vel⁵ rationem⁶ dispositionum habilitantium et determinantium subiectum ut sit proprium | passivum respectu alicuius⁷, impossibile est tamen quod per talia habeat subiectum rationem activi in se⁸ et passivi a se non.

Et ideo, si ponantur affectiones in voluntate⁹, bene disponunt et determinant voluntatem ad hoc quod ab aliquibus obiectis determinatis¹⁰ moveatur, in quantum¹¹ secundum condicionem affectionis in voluntate fit¹² apparentia obiecti in intellectu, secundum illud: qualis est unusquisque, talis finis videtur ei.

Similiter etiam¹³ quantum ad intellectum est dicendum quod nulla species in ipso potest poni ad hoc quod per illam¹⁴ agat in se ipsum. Sed, si sunt in intellectu species vel | habitus, ad hoc sunt¹⁵ quod per intentionem¹⁶ talium melius et perfectius possit reduci in¹⁷ actum per suum obiectum. Et universaliter est dicendum quod materia vel subiectum non incidit cum causa efficiente respectu alicuius existentis in ipso.

Nec valet quod dicitur quod compositum ex materia et forma substantiali, respectu accidentium quorum est causa, potest considerari sub ratione qua est in potentia, et cetera. Quia, licet ista duo considerata in ipso composito secundum se sint differentia, scilicet materia quae est¹⁸ potentia et ratione cuius compositum est ens in potentia, et forma quae est actus et ratione cuius totum compositum est ens in actu; tamen, in comparatione ad accidentia, ista duo sub ratione unius accipiuntur; quia, licet materia secundum se habeat rationem potentiae et subiecti respectu formae substantialis, non tamen respectu accidentalis; sed totum compositum per se habet rationem subiecti et¹⁹ maxime quantum ad accidentia propria quae dicuntur convenire composito gratia formae, sic quod insunt composito magis ratione formae; ita quod, etiam si posset forma substantialis a materia

¹ subiectivi PC. — ² actu PC. — ³ om. C. — ⁴ non add. P et 1^a m. C. — ⁵ et PC. — ⁶ ratione C. — ⁷ alterius PC. — ⁸ non add. V. — ⁹ in voluntate] om. 1^a m. C. — ¹⁰ om. 1^a m. C. — ¹¹ et per ipsum V. — ¹² sit PC. — ¹³ et C. — ¹⁴ illum. — ¹⁵ in intellectu species add. P. — ¹⁶ per intentionem] adiutorio PC. — ¹⁷ om. V. — ¹⁸ in add. P. — ¹⁹ om. C.

separari simul cum illa¹, etiam talia omnia² accidentia viderentur separabilia. In ratione ergo per se subiecti formarum accidentalium necessario includitur forma substantialis secundum quam subiectum formarum accidentalium dicitur esse in actu. Et sic male dicitur quod subiectum ratione suae actualitatis habeat rationem causae efficientis respectu quorumcumque accidentium. Sed verum est quod ratione formae determinatur ad quaedam accidentia, et compositum ratione formae; sive talis forma in composito est necessitas ad talia accidentia efficienda; tamen non a³ composito, sed solum a generante. Et⁴ respectu quorundam aliorum non est forma sic determinativa compositi quod sit necessitas ad ista; sed⁵ ad⁶ talia⁷ determinatur⁸ ab aliquo extrinseco, scilicet non ad naturam pertinente nec illam essentialiter consequente.

Dictum etiam Philosophi (1), versus finem primi Physicorum, de quo se iuvare volunt non valet ad propositum, sed magis ad oppositum⁹. Sic enim iacet littera: subiecta natura cum causa formae est eorum quae fiunt sicut mater; mater enim non est causa generationis nisi | recipiendo et non efficiendo. Et sic ex dicto isto non potest haberi quod subiectum sit causa nisi materialis et subiectiva et non effectiva.

Quod¹⁰ dicunt de anima et angelo respectu potentialium intellectus et voluntatis | etiam non valet. Propter praedicta enim in isto sibi¹¹ videntur contradicere; quia, supposito quod substantia animae et angeli sit simplex natura, non potest ista¹² considerari ut est quid in actu et ut est quid in potentia, sed solum ut quid in actu vel ut est¹³ quid in potentia. Ergo respectu suorum¹⁴ accidentium non potest habere uno modo rationem subiecti et passivi et alio modo rationem effectivi. Secundum ergo praedicta dicendum est ad quaestionem generaliter intellectam quod subiectum quodcumque non potest esse immediatum principium effectivum accidentis cuius est subiectum.

Ad eandem autem magis in speciali est dicendum quod, quandocumque fiant actiones animae vitales quae sunt videre, audire, intelligere, concupiscere, velle et diligere, quae dicuntur operationes manentes in agente, et sic videtur quod respectu illarum¹⁵ idem sit activum et passivum, hoc est tenendum quod si homo agens eas vere et proprie habeat respectu earum rationem activi, oportet in ipso¹⁶ ponere aliquod principium activum distinctum ab isto principio passivo et non attribuere hoc eidem secundum rem. Et hoc quidem quantum ad intellectum et quantum | ad voluntatem, mediante

¹ ista PC. — ² talia omnia] omnia talia PC. — ³ om. 1^a m. C. — ⁴ om. C. — ⁵ et V. — ⁶ om. C. — ⁷ alia corr. 2^a m. C. — ⁸ determinatur C. — ⁹ et add. P. — ¹⁰ Quod dicunt de anima] om. PC. add. 2^a m. C. — ¹¹ sic P et 1^a m. C. — ¹² illa P. — ¹³ om. C. — ¹⁴ om. 1^a m. C. — ¹⁵ illorum C. — ¹⁶ oportet — ipso] in ipso oportet C.

(1) Cfr. Aristotelis *Physica*, I, I, c. IX (ed. Bekker, vol. I, p. 192 a).

intellectu, potest hoc aliquammodo poni, quia est intellectus agens et possibilis. Verumtamen, si agens et possibilis radican-
tur in eadem essentia simplici,
unum non agit per se in aliud, sed agens agit in phantasmata et phantasmata
in virtute intellectus agentis in intellectum, ut est alibi (1) declaratum.
 Et similiter ponetur aliquis sensus agens, sicut videtur innuere Commen-
 tator (2), secundo ¹ De Anima. Vel dicuntur tales operationes esse actiones
 manentes in agente, puta sentire in sensu, intelligere in intellectu; non
 quia sensus et intellectus possibilis habeant | rationem effectivi principii
 respectu istorum, sicut etiam res non dicitur videri vel intelligi, quia habeat
 rationem passivi respectu illorum, sed quia huiusmodi perfectiones subiectum
 quod denominant formaliter perficientes habent esse quasi in fieri propter
 continuum dependentiam emanationis et esse ipsarum ad suam causam
 agentem, sicut istae quae vere sunt actus existentes ² in continuo fieri. Ideo
 non dicuntur simplices qualitates per modum habitus quiescentis inhaerentes
 et subiectum denominantes, sed per modum operationis quasi in continuo
 fieri fluentis ³. Item, quia huiusmodi perfectiones in ⁴ esse suo dependent
 ab obiecto, non solum ut ab efficiente, sed illud respiciunt ut terminum
 suae dependentiae, et sic, licet non transeant in aliud sicut in id quod actioni
 subicitur vel quod movetur; quia tamen respiciunt aliud ut terminum, hoc
 autem convenit actioni verae quae consistit vere in fieri, quod verbaliter
 significatur et enunciat de agente, et agens significatur ut subiectum,
 licet in illo non sit realiter ut in subiecto; et passivum, quod realiter est
 subiectum, sub ratione termini ⁵ enunciat.

Similiter autem fit in proposito. Sicut enim dicitur: ignis calefacit lignum,
 ita dicitur: oculus videt lapidem. Et ideo dicuntur tales operationes esse
 actiones quaedam. Non sic autem calere vel lucere, quia non includunt
 huiusmodi habitudinem ad aliud ut ad terminum. Et dicitur quod tales
 actiones manent in agente, quia realiter sunt ut in subiecto in isto quod
 denominant ⁶ sub ratione agentis. Et dicuntur non transire extra, quia realiter
 non sunt ut in subiecto in isto quod respiciunt ut terminum; prout contingit
 in aliis quae sunt verae actiones vere in fieri continuo consistentes.

Quantum ergo ad propositum, est ⁷ dicendum quod, sive sint accidentia
 propria speciem consequentia sive communia separabilia sive inseparabilia,
 haec semper habent fieri in substantia ab agente aliquo, ⁸ scilicet a generante
 quantum ad propria et quan- | tum ad communia ⁹ inseparabilia; et ab alio
 extraneo quantum ad alia. |

¹ tertio 1a m. V; secundo *supras scrips. alia m. V.* — ² existunt *corr.* 2a m. C. —

³ fluentes C. — ⁴ om. 1a m. C. — ⁵ numeri PC. — ⁶ denominat PC. — ⁷ esse PC, esset *corr.*
 2a m. C. — ⁸ alio PC. — ⁹ consequentia PC.

(1) Cfr. *Quodlibetum V*, q. X, p. 37-38. — (2) *Fortasse respicitur Averroes De Anima*,
 I, II, com. 143 (Venise 1562, t. II, fol. 124 V-125 R).

Cod. P
 fol. 134 Vb

Cod. C
 fol. 62 Vb
 Cod. P
 fol. 135 Ra

Primum argumentum non concludit, quia sic non esset aliquid ¹ activum
 nisi eiusdem speciei et univocum, cum tamen causa per se non sit ² univoca.

Ad aliud est dicendum quod substantia ens in actu bene est principium
 activum alicuius actus et operationis, sed in alio, non autem in se ipsa.
 Unde etiam anima non est causa effectiva sui actus vivendi et intelligendi.
 Quantum ad intellectum possibilem, dicitur tamen potentia animae vel anima
 elicere suos actus modo quo dictum est, eo quod dicuntur operationes in
 agente manentes.

¹ ad P. — ² non sit] sit non C.